



Universiteit
Leiden
The Netherlands

Josephi J. Scaligeri Poemata Anecdota

Jonge, H.J. de

Citation

Jonge, H. J. de. (1980). *Josephi J. Scaligeri Poemata Anecdota*. Ter Lugt.
Retrieved from <https://hdl.handle.net/1887/1043>

Version: Not Applicable (or Unknown)

License: [Leiden University Non-exclusive license](#)

Downloaded from: <https://hdl.handle.net/1887/1043>


Note: To cite this publication please use the final published version (if applicable).

SCALIGERI POEMATA

Josephi J. Scaligeri

POEMATA ANECDOTA

collecta
et nunc primum edita ab
H. J. de Jonge



Lugduni Batauorum
Ex officina typographica Cristalbina *Ter Lugt*
MXXM

Editor Lectori S. P. D.

Josephi Justi Scaligeri carmina primum edidit Petrus Scriuerius Lugduni Batauorum anno MDCXV. Qui cum ea 'Poemata Omnia' inscripserit, aliquot tamen Scaligeri poematum haud spernenda prætermisit; quorum alia ignorabat vel in promptu non habebat, alia sciens exclusit. Anno MDCCCLXIV Paulus Antonius de Lagarde, nomine suo suppresso, Scriuerii editionem Berolini fideliter repetiit, nihil ei addidit. Inter poemata autem a Scriuerio præterita nonnulla dignissima sunt quæ edantur ac a litterarum cultoribus legantur. Ideo vir cl. H. J. Cristalba, ille nostri æui Scriuerius, cum heri me inuitaret, potiusue incitaret, vt anecdotorum Scaligeri poematum manipulum prelo pararem sui filii, prænomine Justo communi cum Scaligero, libens indulsi. Habes ergo, lector, neque pauca neque mediocria, sed egregia vere et complura magni illius Herois poemata, numquam antehac edita. Vnde collecta, index docebit extremo in libro. Lege, fruere, et vale.

Lugd. Bat., a. d. III Nonas Aug. MCMLXXIX.

Ad urbem Leidam

cum Flandri et Gallico-belgæ nimis frequentes in eam confluentes
poetam e domo sua expellerent.

Ciues, Leida, tuos Belgii fæx aduena pellet;
Scinditur in multos hic domus vna lares.
Magnus vicus eras. Urbem te copia fecit.
Tempore sed fies magna taberna breui.

Anno MDCVII

In effigiem puellæ cuiusdam nomine Helenæ

Hæc Helena est, Helena sed multum distat ab illa,
Quam peperit cupido Leda Lacæna Ioui.
Nam formam illa, viris ob quam raperetur, habebat;
Mores ista, viri queis rapiantur habet.

Germanus, Flandrus, et Anglus

Tres sunt conuiuæ, Germanus, Flandrus, et Anglus.
Quis melius comedit, quis meliusue bibit?
Non comedis, Germane, bibis bene. Non bibis, Angle,
Sed comedis. Comedis Flandre, bibisque bene.

Factum in finibus Allobrogum An. MDLXXIII

Non fictum. Contigit in Germania

Quidam sacrificum sic obiurgabat amicus,
Qui stricto socii læserat ense caput:
An nescis, quod qui vagina præcipit ensem
Condere, vindictæ non sinit esse locum?
Cur non sinit, ait, qui non prius abdere telum,
Quam post abscissam præcipit auriculam?

In scarabæum grammaticum
qui putauit 'somnia' pro 'somno' Latine dici posse.

Dum creber Corybas scarabæi personat aurem
Mensque sonorinis tinnit imaginibus,
Grammaticum ex illo vigilaxque insomnia vexat,
Somnia toto nec reperit Latio.

Josephus Scaliger

Mulier morbus

Mulier est morbus naturalis eo modo
Quo etiam senectus qua carere non potes
Haud morte præuertendo quos damnas dies.
Ergo necesse, vt viuas tu, mori senem;
Vt species viuat, perpeti domi crucem.

ἐν πᾶσι μέτρον ἄριστον.

Jos. Scaliger Jul. Cæs. F.

Mundus scena

Quid mundus, nisi scena? quid est nisi fabula, vita?

Quidne homo, ni vitæ ludio quisque suæ?

Quisque suam gerimus personam, ast ille beatus

Qui quamcumque gerit, conuenienter agit!

Et cui post varios rerum casusque vicesque,

Clauditur et læto plauditur exodio.

(Vt potius sit comœdia quam tragœdia!)

Alibi pugna, alibi triumphus

Diuersas habitant Virtus et Laurea sedes:
Pugnat apud Parthos Romanus, in vrbe triumphat.
Sic auctorato Christi vexilla sequenti
In terra bellum est: in cœlo palma paratur.

aliter

Diuersas habitant Virtus et Gloria sedes:
Pugnat apud Parthos Romanus, in vrbe triumphat.
Sic auctorato Christi vexilla sequenti
In terra pugna est, in cœlo palma paratur.

Contra pietatem nimis officiosam erga Regem

Rex summus a te sic colatur quatenus
Tibi licere et expedire scis ei;
Homo secundus a Deo, acceptum Deo
Ferens, quod ipse est, vnico minor Deo.

aliter

Princeps colendus hactenus sit quatenus
Tibi licere, et expedire scis ei;
Homo secundus a Deo, debens Deo
Hoc, quidquid ipse est, vnico minor Deo.

Anno MDXCVIII

Contemptio salutifera

Spernerere mundum; spernerere nullum; spernerere sese,
Spernerere se sperni: quatuor ista beant.

In Ludovicum Castaneum Rupipozeum

cum Scaligero librum rarissimum Constantinopoli mittendum
curauisset

Istum repertum vix in Europa librum
Mihi dat, habet qui vix in Europa parem.

aliter

Hunc dat repertum vix in Europa librum,
Cui par repertus vix in Europa vir est.

*Τήνδ' εὐρεθεῖσαν βιβλον ὄψ' ἐν Ἐθρώπη.
Τῷ δόντι μηδέν' εὗρεν ἴσον Ἐθρώπη.*

In Regis privilegium

in sexennium interdicens ne Nonius Marcellinus a Plantino anno MDLXV vitiose excussus, citra eius voluntatem emendatius ederetur.

Seu stupor huic studio siue est insania nomen,
Omnis ab hac cura cura leuata mea 'st.

In suas lectiones Ausonianas

Ausonii forsán poterant non ista videri;
Sunt tamen Ausonii nomine cara meo.

A Scaligero iis quæ reiectis in editione Tornæs. R. Constantini addiderat præfixum.

In Festum et Paullum Diaconum Excerptores

Non mirandum sed dolendum Festum tam misere
A Paulo Diacono fuisse redactum in compendium:
Cum pari ratione Verrium prius ipse tractasset.

Μέτριον παρέχε σεαυτόν.

Funda

Fundam Varro vocat quod possis mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.

Annion et Bitto

Annion et Bitto Samiæ genitalia nolunt
Legitimo Veneris gaudia iure sequi.
Transfugiunt tantum ad praepostera. Ne tibi gratus
Sit sancti coitus transfuga, Cypri, furor.

Parmenis

Parmenis es non re. Cum nomen hoc auribus hausì,
Laudaui. Tu mors altera amara mihi es.
Qui sequitur, fugis hunc. Sequeris qui te fugit omnem,
Vt fugias rursus quando sequetur, eum.

Latine versa ex Anthologiæ Græcæ
Planudeæ libro IV.

Contra petulantiam

Non mihi sunt cordi vaga femina virque petulens
Qui fundum alterius semper arare cupit.

Latine versum e Græco Theognidis.

In Iesuitas

ab Alexandro Varena anno MDXL in ordinem canonicum
prouectos

Pyramide amota Cercopum lata per Urbem
Factio quadriugis vecta triumphat equis.
Lenones, Romane, tuos lex iusta senatus
Expulit; expulsos lege Varena noua
Restituit; quia non aliter Lenonius ordo
Quam per Lenonem restituendus erat.

Anno MDCII vel paulo post

CYCLUS CONTRA FRANCISCUM VIETAM

cum in epigrammate cyclometrica Scaligeri reprobasset.

I. *Protases ad Thrasonem Geometropoetam*

Quid est, quae spatium rotatile orbis
Quadro limite contrahit potestas?
Quid, pomœria quae rotunda circi
Curuis linea finibus coercet?
Ambas reddere possit an logista
Argutis numeris: an hanc, an illam,
An neutras? Data circuli potestas
Cui sit debita circulo? Potestas
Quod segmen data segminis requirat,
Et quantum modulum in dato orbe circi?
Et quae segminis est dati potestas?
Quaeuis scalpra trifariam secare,
In partes totidem angulum secare:
Hos si solueris, o poeta, nodos,
Si non soluero ego hos, poeta, nodos:
Tu sis Phœbus, at ipse sim Vieta.

II. *De infelicitate ingenii Thrasonici*

Musa solœcissat. Nulla est sapientis in illa,
Nulla geometræ ne vola parua quidem.
Armorum tali demens instructe paratu
Ausus es in tauros comminus ire culex?

III

Quid Archimeden, aut quid Eucliden miser
Verso diurna mente, nocturna tero,
Subtilis artis aucupans palmarium?
Vieta lectis quatuor problematis
Orontianis, Stoflerinis undecim,
Vitellionis quinque, Purbachi tribus,
Trihorio ingens prodiit geometra.

IV

Quid tibi cum norma, si corpus linea tangit
Quemque notes oculis angulus omnis abest?

V

Si mensor olim dixerit falsum modum
In quid tenetur, prætör ipse indixit.
Quod tam impudenti luseris sribligine
Tot syllabarum strinxeris falsos modos,
Vieta, factus mensor ex geometra:
Corneliane lege de falsariis,
Prætör iue iure num commiseris,
Dum disputo anceps, quidue dicam nescio,
Ne te absolutum forte dicas vapula.

VI

Nempe operis magnis mihi respondisse, tuisque
Clitellis impar esse fateris opus.
Succubiturus eras sub pondere. Fortis asello
Subuenit fesso mulus, opemque tulit.
Litibus atque foro patronus vendere vocem
Non potuit. Calamum vendidit ille tibi.

VII

Vieta sanctæ crimen ac labes togæ,
Cum te deorum rex pater Iupiter
Venali honoris collocavit in gradu,
Tunc inquinavit aere tempus aureum.

VIII

Quod quidam dupli iactant atrigonata cubi
Et circli ancipites expediisse moras:
Id frustra est (nam sic argumentare, Vieta).
Hoc ego non feci: cur alii facient?
Dic potius (nam falsa tua est dialectica), si non
Fecerunt alii, CVR ASINVS FACIET?

IX

Mille poematio quod portentosus in vno
Barbara menda crepas; falsaque metra pedum:
Ambo, Vieta, tuæ debes accepta referre
Ista geometriae, moribus illa tuis.

X

Vieta iurat esse geometram.
Quidam Vietam prædicant geometram.
Neutris, neque istis, nec Vietæ credite.
Hi mentiuntur, at Vieta peierat.

XI

Hellenismi longe imperitissimus nihil in Eucharistico
nostro ne minimum quidem assecutus est. Ait nos vouis-
se vota. Respondemus:

Ad inuidiam, de Epigrammate Thrasonis

Nil voui, nam quæ, qui soluit carmine grates,
Et compos voti est, vota vouere velit?
Quod superest, o Diua, vides hoc carmen inane,
Hoc claudis numeris, barbarieque litum?
Hoc vomuit quidam quem mens suffusa veneno,
Atque afflata tuo sidere cura coquit.
Perfice ad extremum. Suspendia cogitet olim,
Cui nunc tabescunt viscera felle tuo.
Si facias, non thure tuas adolebimus aras:
Sed dabimus sacris hoc epigramma focis.

XII

Ait nos immolare hecatomben in Eucharistico.

Nulla meo sane promissa est victima versu.
Promissa at versu si foret vlla meo,
Quid niueos iugulare boues opus? Ecce Vieta est
Hellespontiaco victima grata Deo.

XIII

Quid facis hic metrica, si syllaba claudicat omnis
Omnia si falsis tempora vincta modis?

XIV

Vas vini fuerat metreta. Geometra nunc est.
Ergo geometrica fiat et ipsa merum.

MONITUM

Carmina titulos suos debent editori, exceptis poematis *Non fictum*, *In scarabæum*, *In Rupipozeum* et *Cycli contra Vietam* II, XI et XIII, quæ inscriptionibus instructa inveniuntur in codicibus e quibus hic eduntur. Restat vt singulis poematis indicem vnde prompta sint.

★ ★ ★

Ad urbem Leidam: Paris., Bibl. Nat., Rés. J 1300, e quo libro descriptum habeo ab A. T. Grafton.

Cætera inveniuntur in Bibliotheca Academicæ lugduno-batauæ, seu in codicibus manu scriptis (Cod. etc.), seu in libris typis impressis (591 etc.).

In effigiem Helenæ: Cod. Scal. 25, fol. 141.

Germanus, Flandrus, et Anglus: Cod. Scal. 60 B, fol. 107.

Non fictum: Cod. Scal. 25, fol. 141.

In scarabæum: 758 F 1, fol. a 2v.

Mulier morbus: Cod. B.P.L. 1406, fol. 6.

Mundus scena: Cod. Scal. 60 B, fol. 81.

Alibi pugna, alibi triumphus: Cod. Scal. 60 B, fol. 79 et 98v.

Contra pietatem officiosam: Cod. Scal. 60 B, fol. 106v. et Amstelod., U.B. MS. 19 Br. 2.

Contemptio salutifera: Cod. Scal. 60 B, fol. 107.

In Rupipozeum: Cod. Occid., port. fragm. litterarium, Armar. 292.

In Regis priuilegium: 763 F 13.

In suas lectiones Ausonianas: 758 F 12.

In Festum et Paullum: 761 A 9.

Funda: 764 E 9.

Annion et Bitto. Parmenis: 754 G 22.

Contra petulantiam: 766 A 11, p. 329.

In Iesuitas: 591 F 13.

Cyclus contra Vietam: Cod. Vulc. 108, inter carmina
anonyma.

Nota ad Cyclum contra Vietam

Hæc epigrammata, cum antehac non typis edita sint, tamen in Vietæ manus deuenerunt. Ad quædam enim, quæ et adfert, ille respondit; vide *Opera eius Mathematica*, edita Lugd. Bat. MDCXLVI, pp. 339-351. — Ceterum, 'CVR ASINVS FACIET', vltimo in versu poematii VIII, anagramma est nominis 'Franciscus Vieta'.

Huius libelli C exemplaria excusa sunt,
quorum L Romanis, L Arabicis numeris signata.
Litterarum formulis nomen est 'Baskerville'.
Charta Italica, manu fabricata
in officina incluta 'Fabriano',
vocatur 'Roma Tiziano'.
Insigne ædium ac officinæ nostrarum



quod frontem quoque ornat libelli,
arte ac eleganter delineavit
Helmut Salden,
graphics ille antistes.

Hoc exemplar dehinc notatum erit numero:

XLIII.